



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118847**

§. 78. Hungarorum rebellium Comitia Neosolii celebrata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67326)

Sæc. XVII. proin Bavaro totis viribus interim re-  
 A. C. 1620. fisterent. Exin Maximilianus probe  
 intellexerat, haud ultra cunctandum,  
 sed totam belli molem in Bohemos esse  
 vertendam. Anholtium igitur supre-  
 mum vigiliarum Præfectum cum Sul-  
 ziana legione & decem Equitum tur-  
 mis in Bohemiam, ut interim Bohe-  
 morum motus exploraret, præmisit,  
 cui paulopost tria Herbipolensium mil-  
 lia accessere.

## §. LXXVIII.

*Hungarorum rebellium comitia Neofolii celebrata.*

*Han Pan-* Interim Neofolii Hungariæ superioris  
*nonia p. 328.* oppido Hungarici Regni comitia,  
*Merc. tom.* prout nuper conventum erat, ineunte  
*13. l. 2.* Mense Junio celebrari cæperant. Ad-  
*Ortel. con-* venerat ceteris prior Gabriel Betlemius  
*tin. p. 72.* multis armatorum millibus, frequenti-  
*Lotich. l. 5.* que Nobilitate stipatus, qui se Hunga-  
*cap. 10.* riæ Principem dictitans, in folio fede-  
*Jæger. Hist.* bat, ac circum se Bohemiæ, Austriæ,  
*Eocl. l. 9. c. 9.* Silesiæ, & Moraviæ Oratores rebellio-  
 nis suæ socios habebat: Nec aberat  
 Mechmetes Aga, Turcarum Imperato-  
 ris Legatus, cujus potentia freti rebel-  
 les aut Cæsari belli necessitatem, aut  
 Regiæ dignitatis abdicationem se im-  
 posituros sperabant. Submiserant quo-  
 que

que Franciæ & Poloniæ Reges necnon Sæc. XVII.  
 Venetorum Republica suum quisque A. C. 1620.  
 Legatum, Polonum vero Cosaccis in-  
 terea in Hungariam irrumpentibus (\*)  
 Bethlemius violato gentium jure cu-  
 stodiæ dari jussit. Die decima Julii ad-  
 venerant David Paul Tineasis Episco-  
 pus, Georgius Baro Teuffelus & Wolf-  
 gangus Lamiagerus, Cæsaris Oratores,  
 Viri splendidæ dignitatis ac stirpis. Hi  
 ergo ad Hungariæ Procerum alloquium  
 admissi, vim juri titulisque Ferdinandi  
 illatam, ejusque Majestatem graviter  
 ab eis læsam fuisse contestati illos hor-  
 tabantur, ut in Cæsaris, ejusdemque  
 Hungarorum Regis obsequio persiste-  
 rent, nec se ad rebellionem a refracta-  
 riis induci paterentur, postea Regis fi-  
 de pollicebantur, eum non modo pri-  
 stina Regni privilegia confirmaturum,  
 sed etiam alia & potiora, data occa-  
 sione, elargiturum: postremo alios  
 Oratores ampliore facultate instructos  
 mox

(\*) Ferdinandus Imp. in suo diplomate  
 die 10. Decembr. de hac irruptione ita loqui-  
 tur: *Vigore induciarum ultro citroque liber  
 erat commeatus, eo freti Poloni iter per Hun-  
 gariam instituerunt: ast ubi hostiliter se peti  
 ac passim trucidari cernerent, naturæ legibus  
 concessa defensione, ferro sibi viam aperire co-  
 acti sunt.*

Sæc. XVII. A. C. 1620. mox superventuros, spondebant. Verum ad hæc monita aures non habuit Bethlemius, aucupandæ coronæ Hungaricæ cupidissimus, quocum ex Nobilibus ferme omnes conspirabant, aut promissis pellecti, aut verius metu terri; in eos enim, qui dissentirent, se e Curia Neosolanæ fenestris præcipitii Pragensis exempla innovaturum minitabatur. Præterea Gaboris arrogantiam immodice acuebat alius Ottomanici Imperatoris Legatus Buda Neosolium submissus, qui Cæsarem suum de Bethlemi progressibus mirifice lætari testatus, eundem hortabatur, ut bene cæpta impigre urgeret, nullasque pacis condiciones cum Ferdinando, & Hispano Rege iniret, Regnique coronam, sicubi offerri contigerit, amplecteretur, de valido adversus hostes suos, & Polonos auxilio certus.

## §. LXXIX.

*Ordinum Hungariæ novum fœdus in his comitiis stabilitum.*

*Barre hist.  
d'Allem.  
tom. 9.*

*Theatr. Hist.  
cap. 3. §. 2.  
Bellus laur.  
Austr. Meteoran. l. 40.*

Rebus ita dispositis Regni Proceres articulos, de quibus jam dudum inter eos clam convenerat, comitorum auctoritate firmare adlaborabant. Obstititerant vehementer Cæsaris Legati, & Sigismundus Forgatius Hungariæ Pala-